DE

DIVINATIONIS ORIGINE AC PROGRESSU.

DISSERTATIO LITERARIA

QUAM

CONCESSU

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

LITERARUM ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPTAM EDIDIT

LUDOVICUS HENRICUS DE FONTAINE,

PHILOSOPHIAE DOCTOR,

ECCLESIAE S^TI^ JUDAE LONDINIENISIS SENIOR SACERDOS VICARIUS.

ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXVII.

Opinionem, esse inter homines rerum futurarum quandam praesensionem ac scientiam per omnes populos complura per secula pervagatam fuisse, qui ad humani generis historiam diligentius animum attenderit, non videre non potest. Nam ut nullam fortasse gentem tam feram tamque immanem, ut prorsus omni religionis genere careret, unquam repertam esse quum ex veterum tum e recentiorum populorum historia colligere possumus: ita haud scio an ullus populus in physicis rudis et qua ratione Deus hominibus provideat ignarus, unquam inventus sit, qui non arbitraretur, futura certis signis aliave ratione a numine vel numinibus significari, atque inde ab hominibus intelligentibus praevideri posse. Quod quum item Graecis Romanisque antiquitus esset persuasum, omnem rationem qua Deorum beneficio res futuras hominibus ostendi credebant, illi dixerunt *μαντικήν*, hi divinationem. Ac duplicem quidem rationem his vocibus complexi sunt, tum futurorum praesagitionem, quod strictiori sensu dicitur divinare et divinatio: tum omnem artem, qua rerum futurarum scientia e signis a Diis ostensis colligebatur. Cuivis sane hic in mentem venient veterum populorum humana vaticinia et somnia. An cui ignoti sunt, qui in portentis, auguriis aliisque futurorum signis interpretandis operam collocavere, haruspices, augu-

res, magi, ceteri? Neque a Deo O. M. hominibus donata religio Christiana, cujus doctrinae graviori vanae futura et occulta indagandi artes haudquaquam congruunt, hanc superstitionem sustulit. Nam postquam hujus religionis sectatores recesserant a simplissima auctoris divini doctrina, inter hos quoque somniorum conjectura et astrologia viguerunt. Aut potius nova quaedam ratio inventa est, quae religioni Christianae magis convenire videbatur. Sic enim Literis S. usi sunt ut oraculo. Nam an aliqua res bonum malumve eventum habitura esset si inquirere vellent, in quem locum, Bibliis evolutis, forte inciderent, hujus verbi vi illud indicari opinabantur. Quid vero memorem magiam albam ac nigram et sexcentas alias superstitiones, quae per medii aevi secula valuerunt? Quid? quod etiam nostro aevo haec superstitio nondum plane est exstirpata, sed adhuc in multis rebus apud multitudinem viget. Sic permulti etiamnum stellam crinitam multaque alia imminentium malorum omina esse existimant. Imo vero et hodie in Anglia, pro pudor! multi vel nobili genere nati fidem habent astrologiae. Sed, recentioribus missis, ad veteres unde digressus sum, redeo. Jam igitur, quum divinatio, ut facile apparet, arcte conjuncta esset cum loco de Deo ejusque providentia denique e religione maxime apta et nexa esset, Graecorum philosophos de his certe quaerentes, illam quoque attingere necesse fuit. Nec Cicero, philosophiam Latinis literis illustrare aggressus, conscriptis suis de Natura Deorum libris, locum de divinatione omittendum existimavit. Nam quum graecorum philosophorum alii omne divinationis genus, majorum institutis sacrisque sancitum, maximo opere defenderent, alii partem ejus tuerentur, alii denique omnem divinationem vel impugnarent, vel funditus tollerent, Romano philosopho, ne aut temere falsae rei assentiretur, aut contra,

ea neglecta, impietate obligaretur (Cic. De Div. I. 4), in hunc locum diligentius inquirere visum est. Quam ob rem duos de divinatione libros scripsit. In quorum priore Quintum fratrem ex Stoicorum sententia divinationem defendentem induxit, in altero ipse illius argumenta, praecipue Carneadis exemplo, tam acriter impugnavit, ut, quid de ea statuerit, vix dubium videri possit. In his libris pulcherrimis praeter Stoicorum rationem breviter etiam plerorumque aliorum nobiliorum philosophorum placita de divinatione prodita sunt. Disputationis argumentum quum quaererem venit mihi quidem in mentem ea, quae Cicero e philosophorum sententia de hac quaestione literis mandavit, colligere et, ubi fieri posset, ex ipsorum philosophorum scriptis, quae supersunt aliisque veterum monumentis ea probare vel copiosius exponere. Sed de philosophiae scholarum placitis disputare quum viderim fore opus majoris otii, quam quo mihi adhuc uti contigit, satius duxi circumscribere finibus disputationem meam arctioribus. Itaque non nisi de divinationis origine ac progressu, Graecorum divinationis imprimis ratione habita, fusius tractavi.

I. De divinationis origine.

Si reputamus unde factum sit ut haec superstitio jam ab antiquissimis ducta temporibus (Cic. De Div. I. 1) apud omnes populos obtinuerit ac tam altas egerit radices, plures ejus rei causae probabiles afferri possunt. Nam ultra id quod veri est simile, de hac re dici nequit, quippe quum ultimae ejus causae lateant in rudium incultorumque populorum infantia inque polytheismi incunabulis et erroribus, de quo tempore fere silent veterum monumenta. Antiquis-

sima enim fuit rudium hominum opinio, singulis rebus, quibus ipsorum animi stupore et metu percellerentur inesse naturas ipsis potentiores sive genios sive numina, a quibus illas res agitari et moveri crederent. Tum quaecunque iis praeter morem accidere visa essent, ad eorum nominum potestatem retulerunt, aut quocunque evento terror iis incussus esset, hujus causam ab eorundem ira repetiverunt. Itaque si, ut hoc utar, sol vel luna deficeret, si tonaret, si fulmina jacerentur, si terrae motus accideret aliaque plurima ejus generis, perterriti haec numinis cujusdam irati indicia existimaverunt, atque adeo ne graviora mala sibi ex ira illa impenderent, timuerunt. Jam vero quum humanum genus vix unquam omnis malorum generis immune sit, fere semper necesse fuit, praesto esse calamitates, quae aut eodem tempore ingruerent, aut non multo post consequerentur, quarum causas a portentis, quae antecesserant, repetere possent. Hinc, si quod prodigium evenisset, omni modo, sacrificiis oblatis, aliisque ritibus numen expiare, sibique benignum et placidum reddere studuerunt. Ergo si nihil mali illud portentum sequeretur, se numen iratum placasse facile sibi persuaserunt. Verum enim vero in hisce opinionibus uberrimum divinationis fontem fuisse, quis negaverit? Alia ex superiori arctissime nexa causa in natura rerum causarumque naturalium ignorantia posita est. Nam quod ostentorum portentorumque illorum causas ad numinum iratorum vim referebant, haec opinio in primis orta et firmata est ex eo, quod prorsus naturae legumque physicarum ignari fuerunt homines illi antiquissimi. Hinc quum eorum, quae nova et mirabilia accidere vidissent, causas explicare non possent, sponte quasi eo ducti sunt, ut illa deorum viribus assignarent. At aliquis dixerit, eos multo minus numinum praesentium rationem animo perci-

pere potuisse. Sed hoc omnino humani generis fuit proprium. Etenim ut minime rerum, quae sub sensus cadunt, causas tenebant, ita plurima de geniis et diis commenti sunt. Jam vero ex quo tempore homines, a rerum naturae cognoscendae studio alieni, conversi sunt ad deorum iram averruncandam, hoc est, ex quo id, quod physicae erat, religionibus accessit, latus patuit campus, in quo exspatiaretur orta divinatio. Ex hoc quidem errore permanente Heynius*) haruspicinam natam esse existimat, „et artem „auguralem, omninoque divinationem, quae a meris com„mentis et opinionibus visa et audita repeteret. Hinc, in„quit, consuli coepere vates, adiri dii, monstrari ritus ex„piationum, fundi oracula, recitari vaticinia et carmina Si„byllina, cum naturae dictata essent accipienda.“

Neque ex ipsius hominis natura petita causa hic praetermittenda est. Dico cujusque hominis futura sciendi cupiditatem naturalem. Homo enim, praeteritis et praesentibus non contentus, quum huic animo suo insitae cupiditati scientiae plane satisfacere conetur, tum, ut res sunt maxime reconditae, ita vehementissime eas scire cupit. Atque quis est, qui futuri prorsus securus sit, aut quis invenitur, cujus animus non in futurorum spe vel metu versetur? Quare quum semel futura cognoscendi viam quandam prisci homines invenisse sibi viderentur, insita illa cupiditas eos non incitare non potuit, ut ulterius progrederentur, atque studiosissime omnia signa, quibuscunque deorum voluntatem significari opinarentur, observarent. Quo fieri oportuit, ut mox plures divinandi rationes iis paterent. Denique postrema causa addatur humani ingenii imbecillitas de qua Heynius**),

*) Comment. 1. in Opusc. Acad. Vol. III. pag. 205.

**) Comment. altera de vita antiquioris Graeciae ex ferorum et barbarorum populorum comparatione illustrata Opusc. Vol. III. pag. 36.

„Nihil forte est“, inquit, „in quo ingenii humani imbecilli-
„tas in magis conspicuo loco posita sit, quam in hoc, quod
„quo magis obtusa sunt hominum ingenia, eo plus sibi
„vindicant in videndis futuris.“ Nam nos quidem partim ratione et purissimae religionis doctrina edocti perspicimus omnino verum esse, quod cecinit Horatius Carm. III, 29, 29:

„Prudens futuri temporis exitum
„Caliginosa nocte premit Deus:
„Ridetque, si mortalis ultra
„Fas trepidat,“

partim experientia ipsa nobis persuasit futura, quae rationem prudentiamque humanam excedant, ab homine cognosci non posse. Sed fieri non potuit, quin antiquissimi homines futurorum scientiam putarent utilissimam sibi esse maximeque salutarem. Tum vanam esse futurorum indagationem, qui percipere illi potuerunt, quum humanum ingenium, multis praeterlapsis seculis, demum eo pervenerit? Illorum autem animos ne subiit quidem cogitatio, divinationem ab ipsis falso esse inventam, quum se eam sibi a natura oblatam accepisse putarent. Quod vel maxime perspicuum et manifestum fit ex plurimis divinationis generibus, quae omnibus populis communia fuerunt; quae ad unum omnia aliunde ad eos venisse non probabile est. Ex iis igitur, quae hactenus dicta sunt, facile apparet, non unam fuisse causam, sed plures, quae conjunctae hanc superstitionem excitaverint et excitatam confirmaverint. Superest, ut consideremus singulorum generum, quae fuerunt et vulgatissima et antiquissima, originem et rationem. Horum quidem alia omnibus populis in usu fuerunt, alia quibusdam, si non semper, at aliquamdiu propria manserunt. Ad priora autem haud dubie referri possunt quae supra commemoravi

prodigia et ostenta; deinde somnia; tum auguria ex avibus; denique vaticinia. In his vero sunt astrologia et extispicium. Prodigia autem ostentaque ipsa omnino dividenda sunt in ea, quae ut videtur omnibus populis fuerunt communia, ut solis lunaeque defectiones, tonitrua, stellae crinitae, terrae motus, cetera, et in ea, quae tum e diverso populorum quorundam ingenio, tum e diversa terrarum orbis partium natura derivari debent. Unde non temere ullus fuit populus, cui non sua fuerint prodigia, sed alius populus alio plura habuit. Sic de Aegyptiis memoriae prodidit Herodotus Lib. II. 82: *Τέρατά τε πλέω σφι ἀνεύρηται ἢ τοῖσι ἄλλοισι ἅπασι ἀνθρώποισι.* Atque jam Cicero (De Div. I. 42) ex Etruriae aëris crassitudine quum portentorum multitudinem, tum Etruscorum artem insignem eorum interpretandorum repetendam esse vidit. Huc accessit, quod eadem de causa Etrusci fuerunt ingenio graviores, severiores et inde aliis populis religiosiores. (Cic. De Div. I. 42.) At vero tam horum, quam aliorum populorum innumera prodigia atque ostenta recensere supersedeo. Deinde vix dubitari potest, quin somnia quoque fuerint tum in primis omnibus populis commune divinandi genus. Etenim omni tempore homines somniasse certum est. Homines autem rudes cum somniorum ortum causasque veras ignorarent, quid haec ab iis non neglecta esse miramur? Nam quum in somniorum ludibriis interdum ea viderent, quae rerum cursu paulo post eventum habebant necessarium, aut quae casu sic eveniebant, jure quodam suo avide hanc futura cognoscendi viam a natura quasi oblatam arripuerunt. Deinde fieri non potest, quin saepius iis per quietem apparuerint imagines hominum vel notorum, vel ignotorum, imo vero etiam vita defunctorum, qui cum dormientibus loquerentur, vel iis aliquid praeciperent. Unde

mox iis in mentem venerit necesse est, ea somnia immitti a naturis potentioribus atque vel laeta in somno nunciata ipsos manere, vel tristia, nisi averti possent, ipsis imminere. Quae opinio quum postea magis magisque firmaretur, hoc divinationis genus omnium diutissime viguit et maxime excultum est. Quum vero, ut fieri solet, obscura et confusa somnia saepe hominibus acciderent, jam olim exstiterunt, qui aliis solertiores haberi vellent, atque in eo versarentur, ut conjiciendo illa somnia interpretarentur, qui Graecis dicti sunt *ὀνειροπόλοι* sive somniorum conjectores. Cujusmodi hominum antiquissimum sine dubio exemplum exstat in S. Literis. Ex his enim jam Josephi, Abrahami pronepotis, aetate certos apud Aegyptios fuisse cognoscimus homines, quorum esset somnia explicare *). Apud Persas majorum certa classis iisdem operabatur **). Sed non opus erit pluribus probare, omnes populos hac usos esse divinatione. Historia enim plurimis abundat exemplis ***). Attamen jam mature crediderunt somniorum alia esse vera, alia falsa. Quae de duplicibus somniorum portis Penelopen dicentem facit poeta, sunt notissima Od. *Τ*. 560. Sic Agamemnoni falsum somnium immittitur in Iliad. *Β*. 6 sqq. Atque imprimis nocturni temporis ratio habebatur apud Graecos ac Romanos. Nam quae post mediam noctem vel potius mane oriebantur somnia, tantum erant vera. Sic in Od. *Δ*. 841. Penelope *ἐναργὲς ὄνειρον ἐπέσσυτο νυκτὸς ἀμολγῷ* h. e. mane, quo vaccae mulgentur. Vid. Heynium ad Iliad. *Λ*. 175. Mosch. Idyll. 2. Horat. Sat. I. 10. 33. Ovid. Heroid. XIX. 195. — Deinde auspicia et auguria ex avium volatu et cantu capta sive Graecorum *οἰωνοσκοπία* antiquissimam

*) Genes. XL. 8. et XLI. 8.

**) Herod. I. 107. cf. VII. 19.

***) Cic. De Div. I. 20—30. Herod. I. 34. 107. 209. II. 139. III. 30.

habent originem et pervagatissima fuerunt *). Quae non sine veri similitudine repetuntur partim ex priscorum hominum religione, partim ex eorundem vitae genere. Etenim quum illi rei pecuariae vel venationi operam navantes dies noctesque sub divo degerent, atque ad multa, quae nos contemnimus, animum attenderent, eos probabile est jam mature observasse, avium quarundam vel cantum vel volatum sequi procellas, imbres, aliasque aëris tempestates. Cujusmodi praesagiendi rationem fortasse non omnino vanam fuisse, sed veri non nihil subesse potuisse, ex eo intelligere possumus, quod etiam nunc nautae, piscatores, agricolae, aliique magnam vitae partem sub divo agentes ac talia observantes, saepius praevident, qualis futura sit coeli tempestas. Porro illis venantibus vel aliud quid suscepturis fortasse saepius occurrit eadem avis atque hujus conspectum secutus est bonus aut malus rei susceptae eventus. Non igitur jam satis habuerunt coeli mutationes ex avibus praedicere, sed mox etiam alias res ad humanam vitam pertinentes per eas ante significari opinati sunt. Quo factum est, ut pro religionis sensu tales aves vel tanquam felices venerati sint vel a diis immitti et agitari arbitrati. In primis autem aves rapaces nec gregatim volantes, ut aquilam, accipitrem, vulturem, corvum, de futuris admonere crediderunt. In Oriente, ubi sol, luna, aliaeque lucidiores stellae divino honore colebantur, jam antiquissimo tempore aves altissime volantes, atque eo proxime a deis commorantes, horum interpretes habitae sunt. Sic Persae quum alias aves sacras, tum maxime aquilam futura portendere arbitrati sunt, easque in caveis inclusas in regia servare

---

*) Jam Mosis aetate avium cantum observare solitos fuisse homines argumento est: Pentateuchi III. c. XIX. v. 26.

atque in bellis secum ducere solebant, e quibus augurarentur Magi *). Hinc autem in Asia superiori Graecorum *οἰωνῶν* et Etruscorum auspiciorum originem quaerendam esse suspicatur Creuzerus l. c. Potuerunt sane plura ad disciplinam auguralem pertinentia inde ad exteros populos transiisse, quin etiam hoc verisimillimum est; sed si vera sunt, quae modo dixi de causis probabilibus hujus divinandi generis, non opus est ejus originem et initia peregre quaerere, si agitur de venatoribus et pastoribus. Atque etiam Cicero vitae genus multum in auguriis valuisse observavit De Div. I. 42. Jam vero quam late haec divinationis ratio pervagata fuerit, argumento est idem auctor De Div. II. 39. „At omnes," inquit, „reges, populi, nationes utuntur auspiciis." Sed ut de paucis populis praecipuis alios quoque testes proferam, etiam Indi, Aegyptii et *Κελτοί* auctore Ael. V. H. II. 31 auspiciis intenti fuerunt. Inter Gallos Druidae ex avibus futura praedixerunt Diod. Sic. V. 31. De Germanis idem prodidit Tacit. De Mor. Germ. c. 10. Praeter consueta auspicia Romanis singulare fuit, quod capiebatur ex pullorum pastu Cic. De Div. II. 34. De quo auspicio festive et vere Plin. H. N. X. 2: „Pullis regitur imperium Romanum." Astrologiam e Sabeismo sive astrorum cultu derivandam esse censeo, unde huic divinationis rationi in primis dediti fuerunt Asiae populi, ut Assyrii, Babylonii, Chaldaei et Persae. Neque minus Aegyptii eandem artem teste Cicerone De Div. I. 1 longinquitate temporum innumerabilibus paene seculis consecuti putantur. Astrologiam invenisse et in artis formam redegisse vulgo, nec sine veri specie, traduntur Assyrii vel Chaldaei (Cic. ibid.). Ex camporum patentium aequoribus,

---

*) Creuzeri Symb. I. p. 724 · II. 936. Herod. III. 76.

in quibus habitaverunt Babylonii et Aegyptii, horum summum studium sidera observandi deduxit Cic. De Div. I. 1 et 42. Verisimile autem est, eos jam principio observasse alius sideris ortum aestum, aliud vero occidens imbres tempestatesque sequi. Hinc facillime eo pervenerunt, ut quidquid sideris occasum vel ortum consequeretur, id stellis iis effectum esse crederent. Quo quum accederet astrorum cultus, non est mirandum, homines opinatos esse, motibus stellarum numinum voluntatem significari. Ex eo igitur semper ulterius progressi artem sibi invenisse videbantur, qua quid quovis stellarum motu significaretur, cognoscerent, quam deinde secuta est comes *γενεθλιακή*, quae est scientia qua praedicebatur quid cuique eventurum, et quo quisque fato esset natus. Hac autem Chaldaeorum aliorumque divinatione ex astris per longum tempus plane non sunt usi Graeci Romanique, ac vel postea quum ea cum aliis magicis artibus ex ea vulgo aptis ab Asiae populis ad illos translata esset, plurimis comtemtui fuit, neque unquam inter sacra publica recepta. Quae hactenus commemoravi divinationis genera jure antiquissima haberi possunt. Aliorum vero origo referenda videtur ad ea tempora, quo populi jam paulo majore animi vitaeque cultu utebantur. Eo pertinent extispicium, vatum praedictiones, et oracula, ubi mentis divino instinctu responsa dabantur. Divinatio autem ex inspectis extis sive *ἱερομαντεία* serius quam portenta ac somnia orta videtur. Nam pecora mactare et torrere jam humanitatis gradum aliquem indicant. Jam simulatque sacrificia diis fieri coepta sunt, procul dubio credere coeperunt, optima quaeque iis offerri oportere. Quare victimae mactandae pulcherrimae omnisque vitii expertes esse debebant*). Ad

---

*) Sic Diomedes Iliad. *K.* v. 292. cf. ibid. *Z.* v. 941.

quod dijudicandum deinde non tantum externam spectaverunt speciem, sed etiam an internae partes sanae essent ac bene se haberent, attenderunt, ut qui occultum quoque vitium diis displicere existimarent*). Hinc ergo, si quid praeter morem in extis inveniretur, postea exstitisse videtur opinio, ejusmodi vitium occultum in victima idcirco a diis effectum esse, quo hominibus iram suam significarent. Quo pacto exta facta sunt quasi oracula, quibus homines inquisiverunt, Dii rem suscipiendam improbarent, an probarent; utrum res prospere, an male cessura esset. Haec quidem *ἱεροσκοπία* iis populis, qui puriori ignis lucisque cultu utebantur, vel prorsus ignota, vel certe odiosa fuit. Hi potius *πυρομαντεία* sive divinatione ex ignis flamma usi sunt. Cui tamen Graeci quoque intenti fuerunt atque utraque divinationis ratio Etruscorum haruspicina contenta fuit. Ceterum extorum inspectio latissime per plurimos populos pervagata est. Quae postquam Graecis usitata fuit, singuli belli duces secum duxerunt haruspices. Atque Elide tres certae familiae Jamidae, Telliadae et Clytiadae haruspicinae nobilitate innotuerunt**). In Asia minore Telmessenses maxime haruspicina excelluerunt Cic. De Div. I. 41. cf. Herod. I. 78. Denique hac divinationis ratione usi sunt Indi, Aegyptii, Gallorum Druidae et Babylonii***). Postremo vero crediderunt antiquitus, certos quosdam homines interdum divinitus afflatos, divinoque furore correptos fundere vaticinia. Ut enim alia omnia mirabiliora, sic quidquid solito prudentius et acutius ab homine esset cogitatum, deorum praesentiae ac nutui id acceptum retulerunt.

---

*) Plut. de Defect. Orac. Opp. II. pag. 437.

**) Cic. De Div. I. 41 duas tantum familias memorat, Jamidum unam, alteram Clytidarum.

***) Diod. Sic. V. 31.

Ut in Odyss. *O.* v. 172, ubi aquila advolans mansuetum anserem raptum abstulerat, Helena ait *κλῦτέ μευ,* inquit, *αὐτὰρ ἐγὼ μαντεύσομαι, ὡς ἐνὶ θυμῷ Ἀθάνατοι βάλλουσι.* — Pariter sacerdotes, deorum ministros ac multitudinis doctores, quidquid consulti respondebant, a diis edoctos id dicere credebant. Quae opinio quum animis inhaereret, animadverterunt, praeter ceteros feminas quasdam prorsus singulare aliquid pati. Quibus enim nervi erant debiliores ac facilius afficiebantur, mirum in modum nonnunquam mente permotae esse videbantur. In qua quidem mentis permotione sive *ἐκστάσει,* ex quacunque corporis animique causa oriretur, accidit ut ipsae non modo interdum sibi viderentur nova intueri visa, sed etiam ut alii eas nova omnino et viva effata edentes instinctu divino praeditas crederent. Etenim quum sic affectae feminae saepius breviores et ex reliqua oratione minime aptas et nexas sententias majore animi impetu eloquerentur, celerius judicarent et subtilius sentirent, facile adducti sunt antiqui, esse eas praedictiones divinas. Quo quum accederet spastica illa nervorum intentio et corporis convulsio, non erat dubium, quin id oriretur a majore vi, imo vero a Dei praesentia, quem in corpus humanum descendere arbitrabantur. Ut in Virgilii Aeneide VI. 46 femina vaticinatura atque se sentiens corripi divino afflatu exclamat „Deus, ecce Deus!" Quod quum ipsis illis feminis re vera olim esset persuasum, imaginandi vi abreptae magis magisque ei opinioni indulserunt, varioque apparatu illam mentis *ἔκστασιν* excitarunt. Has vero feminas omnium primum in Oriente, ubi dicuntur magis esse morbis hystericis obnoxiae, exstitisse probabiliter statuerunt. Nec tantum in Asia et Graecia feminae vaticinatae sunt. Imo etiam Germani vaticinandi facultatem eis tribuerunt: quod adseveravit Tacitus De Mor.

Germ. cap. 8. Sed de veri similibus diversorum divinationis generum causis et usu communi haec sufficiant: unde facile apparere existimo, omnino divinationem universe exstitisse ante ipsas futura cognoscendi artes, atque principio in ea nullam fuisse fraudem. Restat ut de Graecorum divinatione quaedam separatim dicamus. Ut alii populi, qui naturae elementa, quae dicuntur, sive vires physicas, terram, aquam, ignem et aërem, deinde coelum, solem, lunam, sidera coluerunt, divinatione usi sunt: ita maxime apud Graecos, quum, qua erant imaginandi vi, omnia in rerum natura majorem admirationem moventia animarent, iisque deos inesse arbitrarentur, jam principio oportet, exstiterit opinio, plurima in rerum natura *φαινόμενα* aliquid portendere, et hominibus intelligentibus futurorum signa dare. Quum vero Graecorum religio magnam partem ex Asia et Aegypto repeti debeat, inde etiam plura quae ad divinationem spectant, venisse jure statui potest. Neque tamen putaverim, Pelasgos, Graeciae antiquissimos incolas, omni divinatione caruisse ante illas sacrorum migrationes. Omnes enim populi, ut jam monitum est, vel maxime feri et inculti, quales fuisse Pelasgi traduntur*), aliqua usi sunt divinatione. Verum quis hodie ubique accurate distinguere ac discernere possit, quo usque Pelasgi atque post eos Hellenes ipsi progressi sint sine exterorum auxilio et commercio, quidve ab exteris in Graeciam illatum sit. Omnium Graeciae oraculorum haud dubie Dodonaeum fuit antiquissimum et primo unicum (Herod. Lib. II. 52). Qui idem auctor ibid. cap. 54 seqq. ex iis, quae in Aegypto et Dodonae audierat, memoriae prodidit, illud primum institutum esse a sacerdote, quae Thebis Aegyptiacis per Phoenices

---

*) Aeschyl. Prom. Vinct. vv. 441—455.

in Graeciam delata esset. Jam Creuzerus Symb. II. pag. 472 Herodotum secutus hujus Pelasgici oraculi Aegyptiacam originem et institutionem probat, ejusque rationem ex Pelasgorum summo deo physico Jove (ut postea certe vocatus est) qui sit vitae fons et auctor in terra et aëre, sic explicuit. Hicce Deus in quercu cibum potumque hominibus praebente habitat, unde homines eam venerabantur*). Idem e terra et ex arboribus in terra nascentibus dat hominibus victum et consilia. Arboris sacrae frondis strepitus aviumque voces in ejus vertice Pelasgis Dei praesentiam indicabant, et monita erant consulentibus. Delphici vero oraculi origo ab aliis veterum e Thracia repetebatur, ab aliis e Delo, in quam Olen, qui Apollinis vates princeps dictus est, postquam e Lycia habitatum concesserat et Apollinis cultum attulerat, inde Delphis oraculum constituisse tradebatur**). Ex iis quae in Homerico Hymno in Apoll. v. 390 seqq. traduntur de Creticis nautis, quos Apollo oraculum suum condens jubet habitare Delphis et templi ministros esse, conjecit Heerenus in Ideis etc. Vol. III. p. 1. pag. 94, Cretensium coloniam condidisse oraculum et templum Delphicum. At in Graecorum mythis plures deinceps hujus oraculi praesides fuisse traduntur, ut Terra, Themis, Phoebe et Apollo***), quo magna esse antiquitas cultusque crescens designatur. Auguria primum ex Asia ad Graecos pervenisse quam verisimile sit, supra jam significavi. Deinde Graecarum Sibyllarum patriam esse Orientalem orbem e voce σίβυλλα, quae quin in

---

*) Sil. Jtal. III. 692. „Arbor numen habet, coliturque tepentibus aris."

**) Paus. X. v. Creuzeri Symb. II. pag. 130.

***) Aesch. Eum. V. 1 seqq., ubi Terra dicitur πρωτόμαντις. Paus. l. c.

oriente nata sit non dubito, jure existimatur a doctis*). Sed Musae, quae proprie fuerunt fontium deae sive nymphae, et quarum munus olim erat in fontibus vel potius in fontium antris futura investigare et vaticinari, e Thracia vel Macedonia venisse videntur**). Quae quum arctius deinceps jungerentur Apollini, quemque poëtam reddebant vatem. Quod autem Graeci uni fere Apollini vaticinandi praedicendique virtutem tribuerunt, hujus notionis originem acute conjecit Creuzerus II. p. 163 quaerendam esse in puriori ignis coelestis s. solis cultu, qui viguerit in primis in Asia superiori. Non enim dubium esse, quin hujus religionis magna pars fuerit πυρομαντεία. Deinde hunc solis ignisque cultum jam olim per Thraciam ad Pelasgos venisse veri simillimum esse. Cui quum postea ex Aegypto et Phoenice accessisent notiones Phthasi, Sydyki, Esmuni, Deorum ignis terreni, et lucis in tenebris, his multum favisse locorum proprietates, ut vaporem singularem barathri Delphici. Atque Jovi quoque quum subesset notio ignis coelestis, inde huic etiam divinationem assignatam esse. Haec Creuzerus. Hinc igitur tum, quum Graecorum dii fierent personae morales, atque omnes ad gentem Jovis Junonisque referrentur et uni summo Jovi subjecti fingerentur, Jupiter habitus est πανομφαῖος h. e. omnis divinationis auctor***), atque Apollo ab eo accepisse fertur divinandi scientiam, unde etiam Jovis oraculorum interpres dictus est. Aeschyl. Eum. V. 19. Nec vero νεκρομαντεία, cujus vestigia jam occurrunt in Orphei historia, quaeque

---

*) Boettigerus: Ideas on Mythology. First Course. Dresden 1826, pag. 101 et 105.

**) Creuzer: III. pag. 366 et seqq.

***) Iliad. Θ. 250, ubi πανομφαῖος a schol. recte exponitur πάσης μαντείας αἴτιος.

notissima est ex Homerica νεκυίᾳ in Odyssea, Graecae est originis, sed ad Orientis magiam referenda. Augustinus De Civit. Dei VII. 35 Persarum magos νεκρομάντεις fuisse prodidit. Verum haec divinationis ratio nunquam publicis Graecorum sacris probata est, sed oracula ejus ideo semper extra propriam Graeciam manserunt. Quae enim memorantur νεκυομαντεῖα, fuerunt apud Thesprotos et Heracleae *). Sed pluribus haec persequi non opus est. Ex allatis jam satis apparet, Graecorum divinationem exterorum populorum commercio mutatam et auctam esse, nec tamen omnia peregre quaerenda. Si vero quaeras, unde factum sit, ut in primis Graeci adeo divinationi dediti fuerint praeter causas, quae supra universe commemoratae sunt, praecipua et peculiaris in eorum ingenio sita fuit ratio. Graeci enim fuerunt sensu tenuissimo eorumque animi levissima causa commovebantur et maxime afficiebantur rebus secundis et adversis, laetis et tristibus. Hinc, quantum est hominum, praesenti vitae fructu maxime uti noverant, sed eo ipso eidem ita solliciti erant, ne sua felicitas imminueretur aut verteretur. Tum intelligebant, se suaque esse in potestate immortalium beatorumque deorum, prae quibus se ipsos infelices sentirent. Quo factum est, ut ad hos confugerent, et quam vehementissime cuperent in tam obscuro incertoque vitae cursu doceri de futuris. Hinc postea tot novae praedictionis artes deinceps accesserunt, quae etsi a prudentioribus non probarentur, tamen a majore multitudine avide arripiebantur, ad quas forsitan, si solita et majorum institutis probata ratione futura cognoscere non possent, confugerunt. Quas fere innumeras artes vel enumerare diffi-

*) Paus. IX. 30. Herod. V. 92. Plut. in vita Cimonis Op. I. p. 482. c.

cillimum sit, nec meum est*). Nam omnino divinationis genera, quae tum antiquitate tum civitatum institutis et sacris rata erant, distinguenda sunt ab iis, quae postea harioli lucri fraudisque studiosi vel ipsi invenerunt vel ab exteris populis sumserunt. At mirum forte alicui videatur, etiam plurimos philosophos summarum rerum scientia civibus suis praestantes ac summo studio in rerum causas Deique naturam inquirentes, vel universam in populari religione vigentem divinationem probasse vel magna ex parte huic habuisse fidem. Quod si attentius consideres, hujus rei causae probabiles reperientur. Etenim viri illi, quum non minus quam alii a teneris imbuti essent communi omnium opinione, oraculis, somniis, auguriis aliisque modis futura a diis significari, omnino difficillimum fuerit necesse est, hujus opinionis vanitatem ita perspectam habere, ut nullam esse divinationem prorsus iis persuasum esset. Imo vero quum philosophorum mentes semel divinationis opinio occupasset, plura illos ad eam si non defendendam, at certe non temere rejiciendam impulerunt. Nam omnino tam mira nonnunquam hominibus offeruntur, ut etiam hodie sint, qui suspicentur, esse interdum nescio quam futuri praesagitionem. Denique plerique philosophi nihil in suis placitis de divina natura ac de mundo gubernato a Deo invenerunt, quod divinationis notioni repugnaret. Nam quum Deum res humanas curare hominibusque providere sibi persuasum haberent, nihil absurdi videbatur, divinam naturam ita hominibus consulere, ut futura aliquo modo hominibus indicaret. Hinc excepto Xenophane ii fere, qui omnem divinationem penitus rejecerunt, Deum nisi verbis at re sustulerunt eumque certe humanarum rerum curam

*) Fabricius in Bibliograph. Antiq. pag. 409 seqq.

gerere negaverunt. Nam id, quod nunc in promptu videtur, ut ullam esse futuri scientiam, nisi e causis physicis, neges, sed nihilominus rebus humanis Deum providere ac consulere statuas, veteribus philosophis parum constitit. Porro omnino veri simile est, quosdam acutiore ingenio praeditos, quum de pluribus divinationis generibus dubitassent vel ea inania esse existimassent, tamen consulto id palam non esse professos. Nam etsi Athenis, quae quum ceterarum artium disciplinarumque, tum philosophiae prope sola sedes fuerunt, nullis legibus publicis philosophia erat circumscripta, tamen periculosum erat aliquid in populari religione aperte improbare. Etenim saepius inimici inde alicujus accusandi causam petebant et religionis nomine veram simultatis causam tegebant, quod manifesto valuit in Anaxagora et Socrate. Verum ubi illa de divinatione dubitatio vel negatio non diserte memoriae prodita reperitur aut ex philosophi cujusdam reliqua doctrina colligi non potest, conjecturis abstinere praestat, quam nimium forsitan incertis tribuere. Verumtamen hoc quoque tenendum est, non antiquiorum philosophorum fuisse morem, singulares e philosophia locos pertractare, atque item hanc ob causam de divinatione non separatim aliquid ab iis conscriptum videri. Sed quae ad nostrum pertinent argumentum potissimum sparsa fuerunt in aliis scriptis, ut apparet e Platonis dialogis. De una divinatione per somnum peculiari egit opusculo Aristoteles; reliqua vero, quorum de hujus philosophi sententia de divinatione meminerunt veteres, passim ubi res ferebat, in aliis libris allata fuisse videntur. Item Zenonem, Stoicorum principem, de hac quaestione in suis commentariis quasi semina quaedam sparsisse affirmat Cicero De Div. I. 3. Sed Stoici, quum locum de divinatione tanquam sibi proprium reddidissent tamque arcte con-

junxissent cum quaestione de divina natura, ut alterum altero probaretur reciprocando*): ita a Chrysippo demum omnia ad divinationem pertinentia scriptis peculiaribus explicuisse videntur**).

II. De divinationis progressu.

Ut omnia divinationis genera non eodem tempore nata sunt, ita nec omnia semper eadem fuerunt auctoritate sed alio tempore alia magis viguerunt. Quare postremo de vulgatissimorum generum periodis et mutationibus nos pauca disserere oportet. Tres distinguendas existimo Graecorum divinationis periodos, quaram primam sic definio:

I. Somniorum interpretandorum, avium observandarum et extorum consulendorum Graeci studiosiores sunt. Vatum ars majorem partem continetur *γοητείᾳ****). Oracula (*χρησμοί*) nondum scribuntur, sed tantum ore edita memoria servantur. Sibyllarum aetas usque ad septem Sapientum aevum. Antiquissimi, qui commemorantur *μάντεις* avibus et signis admoniti futura dicebant, quales fuere Amphiaraus, Tiresias, Amphilochus et Mopsus. Cic. De Div. I. 40. Pausanias I. 34 de Amphiarai aetate sic scripsit: *χωρὶς δὲ πλὴν ὅσους ἐξ Ἀπόλλωνος μανῆναι λέγουσι τὸ ἀρχαῖον, μάντεών γ᾽ οὐδεὶς χρησμολόγος ἦν, ἀγαθοὶ δὲ ὀνείρατα ἐξηγήσασθαι, καὶ διαγνῶναι πτήσεις ὀρνίθων καὶ σπλάγχνα ἱερῶν· δοκῶ δ᾽ Ἀμφιάραον ὀνειράτων διακρίσει μάλιστα προσκεῖσθαι.* Sed hujus periodi primae talem fuisse rationem optime

*) Cic. De Div. I. 6. 51. II. 49.
**) cf. Diog. Laert. VII. 149.
***) „Sorcery“, „witchcraft“.

cognoscas ex Homericis carminibus. In his enim rarissime oraculorum mentio fit*), contra creberrime memorantur auguria, portenta, omina, somnia**). Quanta auctoritate valuerit eo tempore augur, colligi potest ex iis, quae de Calchante augurum facile optimo dicuntur Iliad. *A*. 70 seqq. Quam *μαντοσύνην* maxime augurandi artem fuisse, patet ex Cic. De Div. I. 40. Omnino ex Homericis poëmatis, in quibus poëta depinxit homines, quales reapse erant, apparet Graecos eo tempore quam plurimas res, quas viderent vel in aëre vel in terra, futurorum signa habuisse iisque interpretandis operatos esse. Nec versus nobilissimus, quo Hectoris verba continentur Iliad. *M*. v. 243: *Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης* ita est intelligendus, ac si poëta dixisset Hectorem prorsus nullam habere fidem auguriis; sed heros pugnae successu nimis elatus se melius quam Polydamantem Deorum voluntatem percipere existimat. Extispicium vero an Homero cognitum fuerit, admodum dubium est. Qui in Iliad. *Ω*. 221 dicuntur *ἱερῆες* Eustathio auctore illi quidem sunt *οἱ διὰ σπλάγχνων μαντευόμενοι*, atque Heynius item in Iliad. *A*. 62: *Ἀλλ᾽ ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν ἢ ἱερῆα*, postrema voce extispicem significari existimat. Sed Homerum vel minimas res summa cura ac diligentia describere solitum, vix credibile est, si extispicium cognitum habuisset, hoc omissurum fuisse; praesertim quum saepius de sacrificandi ritibus copiose egerit,

*) Iliad. *I*. v. 404 memorantur opes templi Delphici. In Odyss. *Θ*. 79 Agamemnon Apollinem Delphis consulit. Dodonaei mentio fit ibid. *Ξ*. 327 et quae hic leguntur totidem verbis repetuntur *T*. v. 296, atque hoc oraculum videtur intelligi *Π*. 402. Jupiter Dodonaeus memoratur Iliad. *Π*. 233.

**) Auguria memorantur Iliad. *Θ*. 246. *M*. 200. *N*. 820. *O*. 160. *T*. 242. *Ω*. 315. — Portenta ibid. *B*. 308. *Δ*. 53. *P*. 547. – Omina *H*. 479. *Θ*. 75. 132 et 170. *A*. 45. *O*. 373. — Somnia e Jove sunt. *A*. 63, ubi jam *ὀνειροπόλου* fit mentio.

ut Iliad. *A.* 315 seqq., 449—466. Odyss. *I.* 430—463. *M.* 356 seqq. Itaque majorem veri speciem prae se fert quod alii dicunt, extorum consulendorum morem Homero ignotum fuisse. Attamen in Boeotia extispicii usus fuit antiquissimus. Vid. Paus. I. 34. Porro Aeschyli in Prom. Vinct. vv. 484—495 locus classicus argumento esse potest, Graecos primum memoratis divinationis generibus magis quam oraculis usos esse. Ibi enim Prometheus quum alia, quibus divinitus datis homines a feritate revocatos mitiori vitae genere artibusque utilissimis uti docuerat, enumerat, tum hos divinationis modos, somniorum vocumque divinarum ex occulto accidentium interpretationem, divinationem e signis, quae forte hominibus obviam veniunt, sive oculis objiciuntur (*συμβόλους ἐνοδίους*) ex avium volatu, ex extis, denique ex ignis flamma. Hic ergo nulla oraculorum mentio facta est. Vatum artem olim maxime contentam fuisse *γοητείᾳ* jam supra commemoravi. Eo pertinent etiam *ἐπῳδαί* h. e. carmina, quibus initio vulgo musica erat juncta. Quae ratio in primis ex Oriente venit per Thraciam et Cretam. Sic tradiderunt vatem Orpheum musica carminumque incantatione morbos sanasse et arcanis lustrationibus morbos avertisse. Vid. Paus. IX. 30. Sibyllarum autem, quae item ad hanc aetatem referuntur, oracula quum initio tantummodo ore ederentur, mox quo memoriae succurreretur, versus hexameter inventus fuisse traditur.

II. Altera aetas sic definiri potest: „Vi et auctoritate oracula praevalent inde ab instauratis ludis Pythiis. Olymp. 49. 3 (anno a. c. n. 582). Publica universarum Graecarum civitatum oracula et peculiaria in singulis civitatibus. Libri Sibyllini. Ceterae divinationis artes relinquuntur arbitrio cujusque privati civis; a Socrate hujusque

schola a diis repetuntur. Ceteroqui vero ludibrio habitae, ut in Aristophanis comoediis. Tantummodo ibi servantur, ubi haruspicum sunt gentes, ut Jamidae, Telliadae et Clytiadae Olympiae.“ Aliter vix ac ne vix quidem fieri potuit, quin, ludorum Pythiorum fama ab Amphictyonibus aucta, Delphicum quoque oraculum maxime auctoritate et celebritate cresceret. Delphi enim, jam olim et oraculo et Amphictyonum concilio clari, tunc etiam magis Graecorum universorum locus communis et sanctus quasi consessus facti sunt. Attamen hoc non ita dictum velim, ac si ante illud tempus Graeci non crebro oracula consulere consueverint. Imo Graecorum historia contrarium docet. Sic Lycurgus jam oraculo Delphico leges suas sancivit. Atque in bellis Messeniacis 1° et 2° creberrima est mentio hujus oraculi. Sed oraculorum, quae jam antea frequentassent Graeci, famam et usum circiter a dicto tempore ita crevisse existimandum est, ut magis quam reliquae praedicendi artes valuerint. Oracula, quae Croesi tempore fuerunt vel inclaruerunt, recenset Herodotus*), id est Delphis, Abis, Dodonae, Amphiarai Oropi, Trophonii Lebadiae et Branchidarum in Milesio agro. Sed hujus divinationis studio deinceps valde crescente, Apollinis oracula amplius L fuerunt**). Porro praeter illa *μαντεῖα* sive loca, quae adibant ad deum consulendum de rebus futuris, maxime celebrantur peculiaria vaticinia conscripta. Etenim scribendi arte vulgata, complures erant homines fatidici, qui in eo versarentur, ut tum veterum Sibyllarum oracula collecta scriptis mandarent, tum sua adderent, unde nomen iis fuit *χρησμολόγοι*. Hujusmodi igitur oracula singulae civitates

---

*) Lib. I. 46.

**) Bulengerus de oraculis et vatibus, in Thesauro Antiq. Graec. vol. VII.

sibi comparare maximo opere studuerunt. Ita Athenis fuerunt Bacidis et Musaei oracula. Quorum conquirendorum studium quum augesceret, plures exstiterunt qui quaestus causa falsa vaticinia circumferrent atque omnino eae commissae sunt fraudes, ut Aristophanes ejusmodi oracula coram populo irriserit, ut in Equit. v. 997. Av. vv. 960 seqq. Ex antiquis illis oraculis collectis libri quoque Sibyllini compositi fuisse videntur.

III. Denique tertiam aetatem constituo: „Oracula φιλιππίζοντα et deinde soluta oratione data denique obmutescunt. Quod autem oracula sensim obmutuerunt hujus rei alii alias causas attulerunt. Plures quidem quae a veteribus dabantur, memorat Plutarchus in Libro De Defectu Oraculorum, atque ipse illum defectum repetivit a depravatis daemonibus, qui praeessent oraculis. A nonnullis allatam rationem, e terra escendentem vaporem, quo mens divinitus afflaretur, exaruisse, risit Cicero De Div. II. 56 seq. Recentiorum alii ejus causam in majore ingenii cultu, quo credulitas imminuta fuerit, alii in religionis Christianae incrementis sitam esse existimaverunt, alii, qui superiorum causarum nullam probassent, oraculorum defectum censuerunt tribuendum civitatum Graecarum afflicto statui et egestati, quo factum sit, ut nemo amplius multa splendidaque dona Deo offerret*). Deinde alieno imperio, quo oppressi tenebantur**), denique quod Isidis, Serapis, et Mithrae sacra in Graeciam translata essent, quibus item incubatio (ἐγκοίμησις) et oracula juncta erant. Attamen

*) Boettigerus l. c. p. 86. Auctor apte citat loc. ex Gregorii Nazianz. Or. II. in Julianum pag. 108 ἄνευ χαλκοῦ Φοῖβον μὴ μαντεύεσθαι.

**) Oracula non convenisse Romanorum imperio docuit Strabo XVII. pag. 1168.

interim alia divinandi ratio successerat. Omnes enim artes magicae post Alexandrum Magnum in Graeciam translatae sunt. Ex eo in Chaldaeorum astrologiam incubuerunt atque artis divinationes instauratae sunt et a daemonum potestate repetitae.